1168.10/e
MED·PALAT·BIBL·CAES·

# PRO ECCLESIIS LVSITANICIS LIBELLI DVO.




PARISIIS,

EX OFFICINA CRAMOSIANA.

---

M. DC. LV.

1872

1162.10

# PRO ECCLESIIS LVSITANICIS LIBELLI.

HOs duos pro Eccleſiis Luſitanicis ſcriptos diuerſis temporibus Libellos, citra cuiuſquam offenſionem nunc edere poſſe illorum auctor credit; cùm in eodem adhuc ſtatu res Eccleſiaſticæ illius Regni perdurent: nec de ſtudio ac vehementia quidquam Hiſpani remiſerint, quibus impulſi apud ſummum Pontificem, ne ipſe Paſtores Eccleſiis derelictis præficiat, hactenus interceſſerunt: tum etiam vt amborum prior verum titulum præ ſe ferat, quem inſigniori quidem & longè nobiliori, ſed ſuppoſititio ornatum prodire apud Italos inſcio auctore voluit Inſulæ cuiuſdam Atlantici maris Antiſtes electus, quo maiorem illi auctoritatem conciliaret. Verùm cùm iure & rationibus magis quàm reſpondentis auctoritate niti, ius ſuum perſequenti potius ſit, titulum, quem præfixit, omittere Præſul ille debuerat, cuius auctorem priuatum hominem ſciebat & nouerat. Cæterùm non ſtudio par-

tium, aut priuati commodi gratia, at certè Eccleſiaſticæ pacis ac concordiæ ſtudioſus illos rogatus ſcripſit; quorum, Tu Lector, æquus arbiter eris.

# RESPONSVM PII VIRI *potentiſsimo Portugalliæ Regno datum.*

POSTQVAM Regnum Portugalliæ liberauit ſe à Regis Hiſpaniæ dominatu, proprio ſibi Rege conſtituto: nouem annorum ſpatio, non ſolùm in vniuerſa Luſitania; verumetiam in Regnis, ac Prouinciis Portugalliæ ſubiectis, defuncti ſunt omnes Epiſcopi, vno excepto. Quo viſo Rex Ioannes IV. cui cura Chriſtianæ Religionis in iis terris de iure competit: per Legatum ſuum à Romano Pontifice poſtulauit, vt Eccleſiis Regni ſui Epiſcopos, more ſolito præficere dignaretur. Reſponſum diſtulit Romanus Pontifex. Donec Eccleſia Luſitana miſſo ſecundo Prolegato ad eundem, aperuit ſuæ Sanctitati damna & diſcrimina, quæ ex defectu Epiſcoporum oriebantur. Præſertim in noua Chriſtianitate Regnorum, Inſularum, & Prouinciarum Indicarum. Obturatis auribus, & clauſis pietatis viſceribus Summi Paſtoris; nihil præter verba, & vana promiſſa Eccleſia Luſitana obtinuit. Regnum deinde totum ægrè ferens eam Romani Pontificis auſteritatem, ne dicam negligentiam, ad exemplum Euangelici Patrisfamilias, tertiò miſit alium Prolegatum, vt fructum vineæ reportaret. Sed nihilominùs in priori propoſito perſiſtente Romano Pontifice, Regnum totius Chriſtianæ, & Catholicæ Religionis, Academias, & pios viros conſulen-

dos cenſuit; vt & ſinguli ſenſum ſuum liberè aperirent ſuper quæſito.

## *Quid facere teneatur Portugalliæ Regnum in caſu, Quòd Romanus Pontifex non vult prouidere de Epiſcopis in Terris Luſitaniæ.*

Vt quæſtio rectè ac ſincerè explicetur, diuerſarum conſuetudinum electionis ac ordinationis Antiſtitum, variis temporibus vſurpatarum, breuis enarratio neceſſaria omninò videtur. Primis Eccleſiæ naſcentis temporibus Clerus & populus concordibus ſuffragiis Epiſcopos, etiam Romæ, elegerunt. Quæ ab Apoſtolis in eorum actis geſta recenſentur, id omninò euincunt. Pluribus deinceps ſæculis mos iſte per vniuerſam Eccleſiam obtinuit, cuius teſtes idonei ſunt Tertullianus in Apologetico, & Cyprianus in Epiſtolis, ac præcipuè in illa quam *ad Clerum & plebes in Hiſpania conſiſtentes* ſcripſit. Nicænum quod ſequenti ſæculo ſecutum eſt Concilium, anno 325. Chriſti celebratum, in Epiſtola quam ad Eccleſias Ægypti, Libyes & Pentapoleos ſcripſit, Cleri & populi ſuffragia in Epiſcopi electione legitima poſtulat. hæc extat libro primo Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Socratis: & idem teſtatur Theodoretus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro primo, qui eiuſdem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ libro 4. in electione Epiſcopi. iſta requiri tradit, σύνοδον ἐπισκόπων, ψῆφον κληρικῶν, αἴτησιν λαῶν, *Epiſcoporum concilium, Clericorum ſuffragium, ac populi votum.* Poſt annos etiam multos, anno videlicet 398. communibus Cleri, ac populi Byzantini ſuffragiis, conſentiente etiam Imperatore, Iohannes Antiochenus Chryſoſtomus appellatus, Patriarcha Conſtantinopolitanus electus eſt, vt narrat Sozomenus libro 8. cap. 2. Temporibus etiam Iuſtiniani Imperatoris ciuitatis potiſſimi, nomine ac dignitate inter Laicos præſtantes, in Præſulum electionibus ſuffragium tulere: quod in lata ab illo Nouella 137. cap. 7. legimus. Hocce equi-

dem modo ſe res habet; neque aduerſatur Canon tertius Laodicenæ Synodi circa annum 317. celebratæ, quæ ὄχλον, vt electionibus interſit, prohibet. Nam per ὄχλον turba forenſis ac populi fæx intelligitur, quæ tumultus vtplurimum, ſeditioneſque excitat. Nuſquam verò remouet τὸν λαὸν populum, quem adeſſe Synodus Nicæna prior, iſtâ Laodicenâ poſterior decernit; neque excludit *honoratorum teſtimonium*, iuxta Leonis Papæ I. epiſt. 3. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis *adhibendum:* nec tandem εὐπρέπης Nouellæ Iuſtiniani. Non etiam D. Hieronymi ad Euagrium Epiſtola illi vſurpatæ conſuetudini contradicit, in qua hæcce leguntur verba. *Nam & Alexandria à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominabant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe quem induſtrium nouerunt, & Archidiaconum vocent.* Illic enim de ordinatione loquitur, & ſucceſſionis ratione, quæ in illa Eccleſia ad Heraclam viguit, vt is Epiſcopus ordinaretur, qui tempore electionis in preſbyterio cæteros anteibat. Eiuſmodi verò electioni populum non interfuiſſe, ac ſuffragia non tuliſſe, minimè aſſerit.

Quamuis verò liberas Eccleſiæ miniſtrorum electiones Chriſtiani facti Imperatores permiſerint, ius tamen ſibi in illis quæſierunt, & ad Eccleſiaſticam κοινωνίαν manus admouerunt. Conſtantinus enim Magnus, prætérquam quod ſuis auſpiciis ac nutu Synodum Nicænam indixit, authoritate etiam ſua Epiſcopos Euſebium & Theognim ſedibus ſuis reſtituit, eiſque ſuffectos Amphionem & Chreſtum deiecit. Tyri iuſſu imperiali congregatos Epiſcopos, ad ſe Conſtantinopolim decretorum rationem reddituros venire, minis additis, iuſſit; de Athanaſio prout ipſi viſum eſt nullo reclamante ſtatuit. Conſtantius deinceps & Conſtans legem tulere, qua Presbyterum vel Diaconum factum, patrimonium probabilis inſtituti, ac proprias facultates retinere voluerunt,

dummodo adſiſtente Curia, ac ſub obtutibus Iudicis promente conſenſum, ad ordinem perueniſſet; Codex Theodoſianus libro 12. de Decurionibus; cui affinem Carolus Magnus in Capitularibus libro 1. capite 120. his verbis edidit, *de liberis hominibus, qui ad ſeruitium Dei ſe tradere volunt, vt priùs hoc non faciant, quàm à nobis licentiam poſtulent.* Atque etiam per illa tempora, quibus libera populi ſuffragia erant, Imperatores Epiſcopos deſignarunt, ipſoſque Romanæ Sedis ſummos Pontifices, ſede expulerunt, deturbatiſque alios ſuffici imperarunt; quod feciſſe Conſtantium, Valentem, & alios Hiſtoriæ teſtantur. Ipſeque Beliſarius Iuſtiniani legatus anno Chriſti 538. Syluerium Papam Pontificatu remouet, proditionis accuſatum, quòd Gothis fauere crederetur: cui Syluerio Vigilius ſuffectus eſt, poſtquam Iuſtiniani iuſſu de Syluerij cauſa cognitùm fuit. Verba Socratis libro 5. ſtatim ab initio valdè notanda ſunt, quando rationem reddit, quare frequentem de Imperatoribus in hiſtoria ſua mentionem faciat, διότι ἀφ' οὗ χριστιανίζειν ἤρξαντο, τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα ἤρτητο ἐξ αὐτῶν. καὶ αἱ μέγισται σύνοδοι τῇ αὐτῶν γνώμῃ γεγόνασί τε καὶ γίνονται. id eſt, *Siquidem ex quo Chriſtianam religionem profeſſi ſunt, ab eorum nutu & poteſtate res Eccleſiaſticæ pendebant: maximaque Concilia eorum decreto celebrata ſunt, atque etiamnum celebrantur.* Sequentibus temporibus Imperatores ius eligendi Epiſcopos etiam contranitente Clero ad ſe traxerunt: ipſique Pontifices Romani electionis ſuæ confirmationem ab illis diutiſſimè petierunt. Ex Canone quidem tertio Nicænæ Synodi ſecundæ, quæ anno 787. celebrata eſt, diſcimus τοὺς ἄρχοντας, id eſt, Imperatores, vel Magiſtratus ab ipſis ordinatos, Epiſcopos elegiſſe: quandoquidem ab ipſis electiones peractas irritas Synodus pronunciat. Ad hunc etiam Canonem Balſamo & Zonaras adnotarunt, ante illud Concilium τοὺς ἄρχοντας, id eſt, ſummas poteſtates ius illud eligendi vſurpaſſe. Verùm Imperatoribus ceſſit tandem Clerus, & à populo & Clero ad illos ius electionis & confirma-

tionis, ſeu inueſtituræ totum tranſlatum eſt, præcipuè verò Patriarcharum mortuis aut depulſis ſuffectorum. Quo iure etiam fruebantur è Palæologorum familia Imperatores, quando à Turcis Imperij reliquiæ deletæ ſunt. E tribus namque, quos Clerus Conſtantinopolitanus nominabat, vnum Imperator à ſe delectum conſecrari iubebat. Et talis fuit in Orientali Eccleſia rerum ſtatus.

Populis autem ius ſuffragiorum ademptum eſt, quod ſeditiones in electionibus orirentur, cædeſque patrarentur: quemadmodum Conſtantinopoli accidiſſe apud Socratem libro 2. legimus mortuo Archiepiſcopo Alexandro, qui ſucceſſorem eligendum deſignauerat. Romæ pariter ſeditio ingens excitata eſt, dum aduerſus Damaſum Papam contrariæ factionis ſtudio Vrſicinus eligitur, in quo tumultu centum & triginta homines perierunt. Antiochiæ ſimiliter plebs tumultuata eſt, dum Meletium Paulino Coepiſcopum in throno ſedere ſtudiis contumacibus contendit, quod Socrates libro 5. & Sozomenus libro 7. narrant. Alia prætereà de cauſa ius iſtud in ſe tranſtulerunt Imperatores. Reipublicæ ſiquidem intereſſe putarunt, vt Epiſcopos ſibi notos ac beneficio deuinctos eligerent, quos commodi ac boni publici paciſque ſtudioſos noſſent. In Eccleſia quoque Occidentali Romæ, per Galliam, & Hiſpaniam ius electionis penes Clerum & populum diutiùs quàm in Oriente ſtetit: quod luculenter teſtantur Hiſtoriæ: prætereà etiam Iſidorus Hiſpalenſis libro 2. capite 5. de diuinis Officiis, Concilium Toletanum IV. can. 19. & tandem Ordo Romanus in Decreto *quod Clerus & populus firmare debet electo Epiſcopo*. Galliæ Concilia plurima, plebis ſuffragia in electionibus accedere debere, aſſerunt. Aruernenſe cap 2. Aurelianenſe V. anno Chriſti 549. celebratum. Clotarij II. edictum in Synodo Pariſienſi V. anno 615. promulgatum, Valentinum Concilium III. canone 7. & ex ipſis ſummis Pontificibus Leo Magnus

in Epiſtola ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, & in alia pariter ad Prouinciæ Epiſcopos. Cæleſtinus quoque Papa epiſtola 5. ad Viennenſes eundem morem tunc viguiſſe confirmant.

In Gallia porrò (vt Doctiſſimus ac Religioſiſſimus Iacobus Sirmondus in præfatione ad Appendicem Tomi II. Conciliorum Galliæ iam adnotauit) Clerus & populus elegerunt Epiſcopos, ipſoſque conſecrauit Metropolitanus, quamdiu ſub Imperio Romano Galli vixerunt. Poſtquam verò Reges pulſis Romanis Galliæ imperarunt, Epiſcoporum eligendorum, vel electionis confirmandæ ius ad ſe traxere. Cùm ſuprema illa in Eccleſia dignitas eiuſmodi momenti ipſis videretur, vt ad ſecuritatem commodumque Regni ſpectaret viros ad eam promouere, qui tali nomine ac beneficio deuincti ipſis obnoxij eſſent. Illius certè iuris à populo in Galliæ Reges tranſlati plura exempla extant; ſine quorum iuſſu, vel ſaltem conſenſu, quemquam promoueri vel conſecrari non licebat. Nec, ſi quis Epiſcopus, inuito aut inconſulto Rege conſecratus foret, inultus abibat. Sanè cùm Leontius Metropolita Burdegalenſis Emerium Santonenſem Epiſcopum Clotarij Regis iuſſu conſecratum, habito anno 563. concilio, vt minùs canonicè ordinatum deieciſſet, eique Heraclium quendam ſuffeciſſet: hunc ad Charibertum Regem Clotarij F. Pariſios miſit. Heraclius cùm Turones veniſſet, ab illius vrbis Antiſtite Euphronio fruſtra petit, vt Concilij Santonenſis capitulis ſubſcribat. Cúmque Lutetiam acceſſiſſet, à Chariberto malè mulctatus in exilium pulſus eſt, denuoque in Santonum ſedem Emerius reſtitutus collocatur. Variauit nihilominus vſus eodem ſimul tempore; Clerum namque & Populum elegiſſe Epiſcopos, Reges vero conſecrari iuſſiſſe legimus: vel Reges aliquem è Palatio virum delegiſſe, eiuſque merito ac doctrina examinatis, à Metropolitano conſecratum eſſe. Hoc apertè conſtat edicto Clotarij II. in Synodo Pariſienſi V. publicato an-

no Chriſti 615. cuius hæc ſunt verba: *Vt Epiſcopo decedente, in loco ipſius, qui à Metropolitano ordinari debet, cum Prouincialibus à Clero & populo eligatur: & ſi perſona condigna fuerit, per ordinationem Principis ordinetur; vel certè ſi de palatio eligitur, per meritum perſonæ & doctrinæ ordinetur:* de qua tunc vſurpata conſuetudine fidem haud dubiam adhuc faciunt formulæ antiquæ à Marculpho collectæ.

Non ſolùm autem Dynaſtiæ primæ Reges, ſed & ſecundæ, ius illud Regium, Clero vniuerſo conſentiente nec reclamante, ſibi vendicarunt, nec vllus, niſi regio decreto confirmata electio foret, conſecrari poterat. Caput illud *Adrianus* diſtinct. 63. cap. 22. notiſſimum eſt, quo Papa Imperatori, Carolo Magno, eiuſque ſucceſſoribus, ius & auctoritatem de electione Summi Pontificis ſtatuendi, eamque confirmandi tribuit. Prætereà concedit, vt aliarum prouinciarum Archiepiſcopos & Epiſcopos deſignet, & in poſſeſſionem mittat, ita vt conſecrari nequeant, niſi priùs accepta ab eo inueſtitura. Et adnotarunt quidam, hoc capite aliarum prouinciarum nomine, intelligi Italiæ, præter Romanam, prouincias cæteras: quandoquidem extra Italiam per vniuerſas ditiones ſuas Carolus Magnus illo iure fruebatur.

Concilium Valentinum III. anno 855. imperante Carolo Caluo celebratum capite 7. ſic loquitur, *Vt ſi quando alicuius ciuitatis Epiſcopus à vocatione Domini deceſſerit, à glorioſiſſimo Principe ſupplicando poſtuletur, vt Canonicam electionem Clero, & populo ipſius ciuitatis permittere dignetur.* Anno verò qui fuerat 844. Concilium Vernenſe II. à Rege ratam haberi petit electionem & ordinationem Agij Epiſcopi Aurelianenſis. Quare caput illud 2. Capitularis Ludouici Pij, quod anno 816. promulgatum eſt, de libera Epiſcoporum electione Clero ac populo reſtituta, ita intelligi debet, vt electio omninò reſtituta videatur à Ludouico, ſeruato ſibi eam confirmandi iure. Et inde concludere poſſumus per multos annos, omiſſa vtplurimùm electione, Reges Pipinum, ac Carolum Ma-

Magnum Epiſcopos deſignaſſe, & conſecrari iuſſiſſe. Illud clarè ſatis narrare videntur Wenilo Archiepiſcopus Senonenſis, & Gerardus Comes in epiſtola ad Amulum Archiepiſcopum Lugdunenſem anno 848. ſcripta, quæ extat Tomo tertio Conciliorum Galliæ, cuius hæc ſunt verba : *Idque veſtræ prudentiæ Dominus noſter nobis iuſsit ſuggerere, non eſſe nouitium, aut temerarium, quod ex palatio honorabilioribus maximè Eccleſiis procurat Antiſtites. Nam Pipinus à quo per maximum Carolum, & religioſiſsimum Ludouicum Imperatores duxit Rex noſter originem, expoſitâ neceſſitate huius Regni Zachariæ Romano Papæ, in Synodo, cui Martyr Bonifacius interfuit, eius accepit conſenſum, vt acerbitati temporis induſtria ſibi probatiſſimorum decedentibus Epiſcopis mederetur, ne fortè ſimplicitate Pontificum poſſet contingere, quod in hac Aeduorum vrbe euenit.* Quibus indicant Pipinum non expectata electione, ſedibus vacantibus ſibi probatos, quorum induſtriam nouerat, deſignaſſe, & conſecrari iuſſiſſe; & Carolum ſæpiùs hoc factitaſſe.

Tertiæ quoque Dynaſtiæ, ſeu familiæ, Reges eodem iure vſi ſunt : quod teſtantur in Epiſtolis ſuis Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, qui ſub Rege Roberto floruit: Iuo quoque Carnotenſis, qui Epiſtola 60. de Regio illo iure ſic loquitur : *Legimus ſanctæ recordationis ſummos Pontifices aliquando apud Reges pro electis Eccleſiarum, vt eis ab ipſis concederentur Epiſcopatus ad quos electi erant, interceſsiſſe : aliquorum, quia conceſsiones Regum nondum conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe, quorum exempla propoſuiſſem, niſi p olixitatem epiſtolæ vitaſſem.* Acre quidem iurgium inter ſummum Pontificem & Ludouicum iuniorem Galliarum Regem interceſſiſſe anno 1141. narrat Robertus de Monte in Appendice ad Chronicum Sigeberti, quod Papa quemdam Archiepiſcopum Bituricenſem, inſcio ac non conſentiente Rege, conſecraſſet, quem propterea vrbe Biturigum accipi Ludouicus vetuit. Ab his initiis ſummi Pontifices ſuprema ac prima-

ria poteſtate innixi, ius in electionibus & ordinationibus Epiſcoporum per Galliam, ſenſim ac pedetentim vſucapione acquiſiuerunt: dum primò inconſultis Regibus conſecrant, ac de electorum contendentium litibus, vtpote maioribus cauſis, cognoſcunt, & ſententiam ferunt; deinde cùm de prouidendo in poſterum Eccleſiis vacantibus facultatem ſibi reſeruant, quantumuis Eccleſia Gallicana reluctante, ac oppoſita Pragmatica Sanctione renitente. Denique Electionum memoria prorſus periit, itavt Epiſcoporum nominatio penes Regem, deſignationis verò, & ordinationis Bullis Pontificiis decernendæ penes ſummum Pontificem poteſtas remanſerit, conditis inter Leonem X. & Franciſcum I. fœderis, quod Concordatum vocant, tabulis.

In Germaniæ equidem quibuſdam locis electiones Epiſcoporum hactenus in vſu ſunt: verùm in illis ſolus Clerus laicis remotis ſuffragium ferre conſueuit. Et verum eſt electionem ad Clerum ſolum tandem in Gallia etiam pertinuiſſe, & laicos ab illa excluſos fuiſſe.

Per Hiſpaniam verò, vt ex Cypriani iam allegata epiſtola conſtat, electio paſtorum penes Clerum ac populum primis ſæculis ſtetit: illius verba ſupra omiſſa hîc referemus. *Propter quod plebs obſequens præceptis Dominicis & Deum metuens, à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet; nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis ſacrificia miſcere; quando ipſa maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi. Quod & ipſum videmus de diuina authoritate deſcendere, vt Sacerdos plebe præſente ſub omnium oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico iudicio comprobetur. Sicut in Numeris Dominus Moyſi præcepit dicens,* &c. Iſidorus quoque Hiſpalenſis nobis ſupracitatus, qui floruit circa annum 630. libro 2. de diuinis Officiis capite 5. de Sacerdotibus, de Epiſcoporum electione hæc verba ſcripſit: *Tertium genus* (Apoſtolorum ſcilicet) *tantum per hominem, ſicut his temporibus fauore populi & poteſtatum in Sacerdotium ſubrogantur.* Sed clarius & maiori cum au-

thoritate Concilium Toletanum IV. iiſdem temporibus, Æræ videlicet Hiſpanicæ anno 671. Chriſti 633. Siſenandi Regis anno tertio celebratum, de recepto tunc more teſtimonium fert can. 19. his verbis: *Sed nec ille deinceps Sacerdos erit, quem nec Clerus nec populus propriæ ciuitatis elegerit, vel authoritas Metropolitani, vel comprouincialium Sacerdotum aſſenſio exquiſiuit.* Verum nondum elapſo illo ſeptimo ſæculo morem electionis in Hiſpania mutatum videmus, & iura populi ac Cleri, quantum ad electionem pertinet, ad Reges tranſlata eſſe. Æræ enim anno 719. Chriſti 681. Eruigij Regis iuſſu celebratum Toleti Concilium XII. de eligendis Eccleſiarum Præſulibus aliter ſtatuit canone 6. cuius hæc ſunt verba. *Illud quoque collatione mutua decernendum nobis occurrit, quod in quibuſdam ciuitatibus decedentibus Epiſcopis propriis, dum differtur diu ordinatio ſucceſſoris, non minima creatur & officiorum diuinorum offenſio, & Eccleſiaſticarum rerum naſcitur perditio. Nam dum longè lateque diffuſo tractu terrarum commeatur, impeditur celeritas nunciorum; quo aut non queat Regis auditibus decedentis Præſulis tranſitus innoteſci, aut de ſucceſſore morientis Epiſcopi libera principis electio præſtolari, naſcitur ſemper & noſtro ordini de relatione talium difficultas; & Regiæ poteſtati, dum conſultum noſtrorum pro ſubrogandis Pontificibus ſuſtinet, iniurioſa neceſſitas. Vnde placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ, vt ſaluo priuilegio vniuſcuiuſque prouinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcumque Regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Epiſcopi iudicio dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet prouinciis in præcedentium ſedibus præficere Præſules, & decedentibus Epiſcopis eligere ſucceſſores,* &c. Ex cuius Canonis verbis conſtat Hiſpaniæ Reges maxima, eaque ſumma authoritate in electionibus Epiſcoporum valuiſſe: nec ſine ipſorum imperio ac conſenſu, quemadmodum etiam apud Gallos, eas ratas fixaſque fuiſſe: ipſorumque iuſſu conſecratos fuiſſe Epiſcopos.

Poſt annos 33. anno ſcilicet Chriſti 713. euocati in

Hiſpaniam Arabes omnia ſuſque deque habuerunt, omnem politeiam Eccleſiaſticam vna cum ciuili euerterunt: penes Reges tamen Hiſpaniæ Epiſcopos eligendi ius remanſit: quod rerum Hiſpanicarum hiſtoriæ florentiſſimus author Iohannes Mariana aliquot locis oſtendit: libro 7. capite 4. Alphonſus Catholicus appellatus, victis Mauris, pluribuſque vrbibus ab eis receptis anno Chriſti 753. Præſules ciuitatibus dedit. Libro quoque 9. cap. 17. Alphonſus VI. anno 1085. Toleto Mauris erepta, Bernardum S. Facundi Abbatem, omnium communi Epiſcoporum, & procerum ſuffragio electum, Toletanæ Eccleſiæ anno 1087 præfici curat. Idem Mariana eiuſdem libri 9. capite 7. & lib. 10. cap. 6. Didacum Pelagium à Sanctio Caſtellæ Rege Compoſtellanæ Eccleſiæ Rectorem impoſitum tradit.

Ab illis deinceps temporibus Summorum Pontificum authoritas per Hiſpaniam vt etiam per Gallias creuit, & illorum beneplacito ac voluntate ordinationes fieri cæperunt, quem in Hiſpania morem ab alio manaſſe notat idem Mariana lib. 9. cap. 18. cuius hæc verba ſunt. *Erat praterea ea tempeſtate moribus Hiſpaniæ fixum, ex Concilÿ poſtremi Conſtantinopolitani (ſic arbitror) præſcripta lege: vt Metropolitani priuſquam inaugurarentur, electionem legibus iubentibus eſſe factam, neque vitio creatos eſſe, Romani Pontifici probarent, priuſquam id factum eſſe, ſacrari aut aliquam Reipublicæ partem attingere, nefas erat. Pontificÿ aſſenſus indicio laneum pallium, quod ſacris peragendis inſigne geſtare ſoliti ſunt, vt impetrarent in more poſitum erat. Id inſtitutum ab hoc initio ſuſceptum, tempore procedente ad alios Epiſcopos, cauſas explicare non attinet, ſed ad inferiores certè Præſules deriuatum eſt. Hoc effecit, vt nullius Epiſcopi rata electio ſit, niſi Pontificis authoritate firmata fuerit.*

Tunc etiam inconſultis Regibus, ac ſine ipſorum conſenſu cæperunt adire homines ſummos Pontifices, vt ab eis conſecrarentur, & Sacerdotia obtinerent. Ita ſe geſſit ſtatim poſt annum 1100. Burdinus quidem Lemouix (qui

Pſeudopontifex Gregorij VIII. nomine, Henrici V. Imperatoris fauore ac auctoritate poſtea factus eſt) & Paſchalem II. adiit, rogauitque vt ab ipſo Eccleſiæ Toletanæ præficeretur, ſicut idem Mariana narrat lib. 10. cap. 11. Vnde animaduertere licet illis temporibus tam in Gallia, quàm Hiſpania inductam fuiſſe conſuetudinem adeundi Pontifices ſummos, & ab eis Epiſcopatuum inueſtituras adipiſcendi, neglectis aliquando Cleri electione, vel Regis conſenſu, ac decreto. Bernardo Toletano Præſuli, de quo iam locuti ſumus, Raymundus Vxamenſis Præſul anno 1129. Sacerdotum Toletanorum prærogatiua, Honorij Romani Pontificis voluntate ſuffectus eſt, vt narrat idem Mariana lib. 10. cap. 14. Summi deinceps Pontifices res Eccleſiaſticas per Legatos in Hiſpaniam miſſos pro arbitrio ac libitu rexerunt: iure Regio inueſtituras conferendi, ac ſimul antiquo ritu Eccleſiaſtico Gotthico ferè extinctis: Principumque tacito conſenſu, iura illa omnia ſibi adquiſiuerunt, quibus aucti pro variis temporibus variè ſe geſſerunt, donec his poſtremis ſæculis electio, & nominatio ad Hiſpaniæ Reges, & collatio ad Papam pertinuit. Neceſſarium viſum eſt iſta præmittere, vt diuerſæ conſuetudines aliis atque aliis temporibus vſurpatæ innoteſcerent. Supradictorum autem ſumma hæc eſt. Clerum & plebes Epiſcopos olim ſibi elegiſſe. Imperatores deinde, poſtquam Chriſtiani facti ſunt, populi authoritatem in Eccleſiaſticis ad ſe paulatim traxiſſe, & tandem populis ſuffragiorum ius ademiſſe. Imperatorum tandem, ac Regum conſenſu Summos Pontifices illud ſibi acquiſiuiſſe, ita vt ſine ipſorum iuſſu ac Bullis Pontificiis nullus hodie conſecrari poſſit. Cùm verò ius illud ac poteſtas Pontificibus acquiſita ab authoribus legitimis deſcendant, legitimos poſſeſſores illorum proculdubio credere debemus. Imperatores ſiquidem legitimi quoque poſſeſſores fuere, qui populorum conſenſu, ad quos diuinâ authoritate deuenerant illa iura, vt Cyprianus loco citato loquitur, adepti ſunt,

vt res Eccleſiaſticas, quæ ad Reipublicæ regimen pertinent, atque cum politicis arctiſſimè coniunctæ ſunt, ſimul gubernarent.

His ita conſtitutis, Pontificiſque ſummi iure ſtabilito, & nullatenus in dubium vocato, Reſpondendum eſt Portugalliæ Regni interrogationi.

Poſt exhibita hactenus ſummis Pontificibus Vrbano VIII. & Innocentio X. à Sereniſſimo Rege Luſitaniæ Iohanne IV. filialis obedientiæ omnia officia; Legatos & Prolegatos ad beatorum pedum oſcula miſſos: poſt continuas preces per octennium integrum repetitas, quibus ſubmiſsè ſed fruſtra rogati atque interpellati ſunt, vt ipſi ſuo iure vterentur; quo poſſunt, atque etiam tenentur Eccleſiis vacantibus ac Paſtore deſtitutis prouidere, perſonaſque dignas ad miniſteria tam Archiepiſcopalia, quàm Epiſcopalia obeunda præficere; Si vltra differat ſummus Pontifex Epiſcopos inſtituere, & imminenti Eccleſiarum Luſitanicarum ruinæ conſulere, Poteſt ac debet Sereniſſimus Rex, iure prouidendi ad ſe reuoluto, ac tanquam pro derelicto in illius poſſeſſionem reuerſus, ob affectatas à Pontificibus minimè honeſtis de cauſis moras, Epiſcopos iuxta formam antiquam deligere, & à Metropolitis Regni ſui, atque Epiſcoporum cœtu conſecrari iubere.

Cùm enim ex anteactorum temporum hiſtoriis conſtet ſummos Pontifices ius illud Bullis ſuis deſignandi ac inſtituendi Epiſcopos Principum conſenſu tacito vel liberalitate acquiſiuiſſe, dum diſciplinam Eccleſiaſticam ſummarum poteſtatum neglectu ac incuria, aut bellorum tumultibus labantem ipſi per ſe, vel per Legatos Apoſtolicos inſtaurare aggreſſi ſunt; tenentur ipſi præſtare illa, ob quæ non præſtita à Regibus, & Principibus, ius illud Epiſcopos deſignandi quaſi ad ſe deuolutum vſu ceperunt. Quod ſi Eccleſiæ diſciplinæ, & neceſſitatibus haud ſubueniant, negligantque quacumque de cauſa illis proſpicere, certiſſimum eſt ad Reges, & Principes ius, cui

olim ceſſerunt, reuolutum eſſe: & ipſos ad proſpiciendum Eccleſiæ rebus, & imminentibus periculis occurrendum conſcientiæ, & officij ſui nomine obſtrictos teneri. Nullum autem grauius ac formidabilius periculum ingruit, quàm dum Eccleſiæ Paſtoribus orbatæ prauorum hominum corruptelis ac maleficiis, tamquam luporum rapacium feritati caulæ deſertæ obiiciuntur. Imperatores & Reges tuendam Eccleſiam ſemper ſuſceperunt, vtque Eccleſiaſtica diſciplina ſarta tecta ſeruaretur adlaborauerunt: vtque id ſtrenuè agerent, Summi Pontifices enixè ſemper rogauerunt, ac hortati ſunt. Obſecutus itaque illorum ſanctis monitis, debet Sereniſſimus Rex, neglectis ab Vrbano & Innocentio Pontificibus Summis Eccleſiæ Luſitanicæ rebus, auctoritate ſua, quæ legitima eſt, conſulere; quodque factitaſſe ante aliquot ſæcula Imperatores, & Reges conſtat, præſtare debet. Ceſſante igitur ordinariâ Summi Pontificis per affectatas ab ipſo moras curâ paſtorali, Sereniſſimus Rex eam ſuſcipere formulis antiquis vſurpatis poteſt. & quamdiu ceſſabit Papa, operari ipſe debet, Paſtoreſque præficere, ne diſciplina Eccleſiaſtica penitus collabatur. Et in hac vrgenti neceſſitate, attentè notanda ſunt illa, quæ de facultate, iure ac auctoritate Regum Hiſpaniæ, cuius pars nobiliſſima Luſitania eſt, ſcripſit Ferdinandus Vaſquez Senator libro 2. Illuſtr. controuerſiarum cap. 51. vbi docuit, *Hiſpaniarum Regi etiam hodie integrum ſaluumque eſſe ius, & facultatem conferendi omnes Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, &c. per vniuerſam Hiſpaniam non ſecus quàm olim; neque illud ius nulla ex parte præſcriptionis, conſuetudinis, vel alia quauis ratione aut occaſione immutatum, debilitatum, aut imminutum videri, non magis quàm olim foret ac fuiſſet.* & inferiùs talia addit: *Nam ad perfectam huius rei cognitionem præfari oportet non eſſe ſolum aut ſimplex ius patronatus, id quod habent Hiſpaniarum Reges in talium beneficiorum collatione ſiue nominatione, neque ex ſola iuris canonici conceſſione, ſed potiſſimum ex ipſomet iure Regali, & ſic ex iure naturali.*

Neceſſaria adeò ſemper fuit Paſtorum in greges ſibi creditos inſpectio, vt omnia Concilia quamprimùm decedentibus nouos ſuffici ſtatuerint, maximum quippe periculum eſt in mora, & Summorum Pontificum Decretis ſtatutum eſt, vt ſi patronus laicus, vel Eccleſiaſticus prouidere, vel minimi momenti Eccleſiis, & Capellis intra definitum tempus negligat, ius prouidendi, non expectatâ amplius nominatione, ad S. Sedem Apoſtolicam deuoluatur. hanc equidem cauſam obtenderunt Summi Pontifices, vt ad ſe legitimè pertinere ius conferendi probarent, Regum etiam obmiſſa nominatione, *vt*, ſcilicet, *diſpendioſæ Eccleſiarum huiuſmodi vacationi celeriter conſulatur*, ipſaque ſunt verba pactorum inter Leonem X. Papam, & Franciſcum I. Galliæ Regem concordatorum. Et ſanè ſi ſummus Pontifex, qui in tota Eccleſiæ Monarchia nullum ſuperiorem agnoſcit, ad quem tale ius deuoluatur, fuerit negligens, & periculis ingruentibus occurrere ſpernat, Imperatores, & Reges veteri iure ſubnixi iuxta antiquas formulas, & Conciliorum Decreta illis prouidere tenentur. Neque meritò Summi Pontifices, cùm per ipſos ſteterit, & acquiſito ſibi iure agere noluerint, atque etiam officio ac miniſterio fungi recuſauerint, querelas aduerſus ſummas poteſtates hac de re inſtituere poſſunt.

Vt pax vigeat, & omnium diſſidiorum cauſæ tollantur in ſingulis Regnis, politicarum ac Eccleſiaſticarum rerum arcta concordia coniungi ac ſociari debent regimina: labefactari ſiquidem alterutrum nequit, quin ſimul cuiuſlibet Regni res in peius ruant. Omninò itaque Reipublicæ intereſt, vtrumque integrum ſeruari: & propterea vnuſquiſque Regum ac ſummarum poteſtatum labanti diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſuccurrere poteſt, ſi à miniſtris Eccleſiaſticis neglecta iaceat. Non ſolùm autem decem ſæculis prioribus exempla frequentiſſima ſunt, quibus conſtat authoritate Principum Sacram diſciplinam inſtauratam, & in meliorem ſtatum reformatam

fuiſſe:

fuiſſe: nobile ſed etiam ante duo ſæcula exemplum Galla præbuit, conſtituta à Carolo VII. pragmatica ſanctione: quam etſi vehementiſſimè improbarint ſummi Pontifices, & omnibus modis ac artibus exagitatam confodere tentauerint, non tamen illius memoria, & vſus animis Gallorum excidere potuerunt, antequam Leo X. & Franciſcus I. concordato his de rebus Eccleſiaſticis, tamquam de re dubia, tranſegiſſent.

Sanè cùm ſummus Pontifex auctoritatem ſuam ceſſare velit, vt Regis Caſtellæ vtilitati ac commodis ſeruiat: ne Iohannem Luſitaniæ Regem appellando, ipſius in regni ſucceſſione ius cōfirmare videatur: vel vt neutri plus æquo faueat; & expectare decreuerit, fortunæ quò ſe momenta inclinent. durante illo partium ſtudio, vel neutralitate, haud æquum Luſitanicam interim Eccleſiam legitimis paſtoribus deſtitui, & imminentis ruinæ periculis obiectam deſeri. Idem propterea conſilium inire poteſt Luſitaniæ Rex Sereniſſimus, ac olim Henricus III. Caſtellæ Rex iniuit anno 1399. quando Schiſmate ruptâ Eccleſiæ vnitate, Benedicto XIII. obedientiam renunciauerunt Caſtellani. Archiepiſcoporum equidem ac Epiſcoporum miniſterio totius Eccleſiæ Caſtellanæ res crediderunt, & ab illis prouideri, quibus Summi Pontifices prouidere ſolebant, voluerunt. Hoc factum eſt ab Henrico Caſtellæ Rege, quoniam ipſi, & Eccleſiæ Caſtellanæ, quiſnam ex duobus tunc verus eſſet Papa, non conſtabat. Luſitaniæ verò Rex Sereniſſimus Iohannes IV. ſibi, & ſuis Eccleſiis Papam deeſſe cognoſcit, & Luſitanos tamquam ſpurios poſt ſe abiicere, patriſque communis officia deſerere; propterea tenetur ſubditis ſuis, eorumque ſaluti cauere; & paſtores præficere, qui eos intra Eccleſiæ caulas contineant, nec extra eas aberrare patiantur. Idem etiam in Gallia initum conſilium eſt, trium ſimul Pontificum ſchiſmate Eccleſiam vniuerſalem ab anno 1408. in partes diſtrahente. Huius conſilij talis eſt inſcriptio. *Aduiſamenta ſuper modo regiminis Eccleſiæ Gallicanæ durante neu-*

Hiſtor. de las Antiguedades de la Ciudad de Salamanca, por Gil Gonçales de Auila Diacono y Racionero en la S. Igleſia de Salamanca. 1606. lib. 3. cap. 14.

*tralitate, deliberata, & concluſa Pariſiis per Concilium Eccleſiæ prælibatæ congregatæ mandato Regis, poſt Miſſam ſolemnem, &c.* cap. de Diſpenſationibus artic. 6. ſic decernit. *Item quo ad illa quæ concernunt Epiſcopos, & maiores, ſicut electiones Epiſcoporum per ſuos Archiepiſcopos, aut ſede Metropolitanâ vacante per capitulum Eccleſiæ Metropolitanæ poſſunt de iure confirmari. Sic electiones Archiepiſcoporum per ſuum Primatem, ſi habeant, aliàs ſi non habeant, aut dubitetur quis ſit ille, per Suffraganeos prouinciæ congregatos poterunt confirmari, & etiam approbari iuris ſolemnitate ſeruatâ; ad quos etiam dicti Archiepiſcopi conſecratio indubitanter noſcitur pertinere. Sed pallij receptionem expectabit ſic promotus, niſi ſit aliquis à quo pallium poſſit recipere.*

Tomo 2. Libertatum Eccleſiæ Gallican. cap. 10.

Accedere etiam debet illa ratio quam Doctores afferunt de recurrendo ad Regem, quando aditus ad ſummum Pontificem difficilis eſt, & periculum eſt in mora. Si illa ratio ſupremo Caſtellæ cōſilio, deinde Doctori Salgado Somoſæ 1. p. cap. 1. §. vnico, Tractatus de Supplicationibus ad Sanctiſſimum, &c. aliiſque etiam Doctoribus, validiſſima viſa eſt ad retinendas Curiæ Romanæ literas, & vt interim ad Regem recurratur: multò magis cum Luſitanicis Eccleſiis facit illa ratio. Non ſolùm enim periculum eſt in mora, & ad Pontificem aditus difficilis, ſed etiam impoſſibilis: quodque mirandum, earum reſpectu Pontifex ipſe nullus eſſe vult: quamobrem ad Regem recurrere debent; ac tanto magis quòd grauior ſit, & maioris momenti Eccleſiæ deſertæ cauſa, quàm literarum Pontificiarum examen.

Nulla porrò Schiſmatis nota Sereniſſimo Regi inuri poterit, qui à Pontificibus ſpretus, Epiſcoporum inſtitutionem ac conſecrationem aliunde non quærit, quam à legitimè, & per S. Sedem Apoſtolicam inſtitutis Præſulibus, quibus alios conſecrare Epiſcopos, ipſiſque manus imponere iure competit. Summi Pontificis ac Curiæ Romanæ iura integra ac illibata eſſe vult: neque, quod neceſſitate ſumma vrgente faciet, illis obeſſe, & officere

contendit : aut præiudicio eiuſmodi quidquam noui inuehere in animo non habet. Reuerentiam S. Sedi debitam intactam eſſe decreuit, à cuius communione nuſquam, Deo propitio, diſcedet. Quin etiam ab ipſa, quando Auſtriacis minùs deditus, æquiorque Luſitaniæ Regno ei præfuerit Pontifex, vel quotieſcunque Sanctiſſimo Domino noſtro Innocentio æquiori facto libuerit, conſenſum, & eorum, qui ordinati fuerint, confirmationem expetere ſtatuerit.

---

## SERENISSIMI LVSITANIÆ REGIS

# IOHANNIS IV.

## Ad Gallicanæ Eccleſiæ Præſules

# LIBELLVS,

*Quo ſuper Eccleſiarum Luſitaniæ ſtatu conſilium petit, & apud Summum Pontificem mediationem.*

REVERENDISSIMI ET ILLVSTRISSIMI PRÆSVLES.

Sereniſſimus Luſitaniæ Rex Iohannes IV. de Eccleſiarum regni ſui ſalute ſollicitus ac mirè anxius, ſolatium ac conſilium à vobis expetit, qui potiorem nobilioremque Eccleſiæ Catholicæ partem ſapientiſſimè regitis, ac moderamini. Eccleſiæ Luſitanicæ, nullo ferè per totum regnum Epiſcopo ſuperſtite, paſtoribus orbatæ, à ſummo Pontifice, qui gregem ſuum illis in partibus deſerit, derelictæ ſunt. ancipites nutant; cui tandem innitantur fundamento, dubitant: & ad quem confugiant, plana via ipſis non patet. Longa verborum ſerie apud vos vti fruſtra foret, cuncta quippe, quæ hactenus geſta ſunt, optimè

nouiſtis. Toti quidem orbi Chriſtiano Sereniſſimi Regis Iohannis IV. pietas, & erga S. Sedem Apoſtolicam filialis deuotio atque obedientia ſunt notiſſimæ; præcipuè verò Galliarum regno innotuerunt, cùm Reges Chriſtianiſſimi, annis pluribus continuis, apud ſummos Pontifices de Luſitaniæ rebus, ad ſtatum tam Politicum quàm Eccleſiaſticum ſpectantibus, per Legatos ſuos egerint: ſæpiuſque Vrbanum VIII. & Innocentium X. orauerint, ac monendo rogauerint, vt Sereniſſimum Regem Iohannem S. Sedem Apoſtolicam adeuntem ſuſciperent, admitterentque; paſtores etiam Eccleſiis Luſitaniæ præficerent. Verùm ita duros experti ſunt Pontifices Chriſtianiſſimorum Regum, Sereniſſimique Regis Legati, vt fruſtra aures ipſorum crebris flagitationibus pulſauerint. Rem profectò inſolitam, ac prodigio proximam videt hoc noſtrum ſæculum; ſummos Pontifices officij ſui immemores, & Sedis Apoſtolicæ auctoritatem labare atque intercidere paſſos, Principis antea vſurpatoris, poſſeſſione Luſitaniæ nunc deturbati, & regnum hocce præter ius faſque iterum occupare meditantis, ambitioni ſeruire, eiuſque libidini obtemperare.

Reuocate in memoriam, Præſules Illuſtriſſimi, priorum ſæculorum res geſtas, euoluite Annales, tale exemplum nuſquam occurret; quin potiùs plurima extant iis, quæ nunc cernimus, ex aduerſo pugnantia. Anteceſſorum ſuorum acta damnare, eaque contrariis reſcindere velle Vrbanus & Innocentius ſummi Pontifices videntur, dum Hiſpanis ſic ſeruiunt, vt ſalutem gregis ſibi commiſſi illorum commodis & vtilitati poſtponant. Ingrati quoque animi crimine antiquos illos Pontifices reos peragunt, qui per Imperij Romani prouincias curam Eccleſiarum non abiecere, cùm iniquiſſimis temporibus Barbarorum colluuies, imperij continenti quadam velut inundatione auulſas, integras occupauit. Peſſimè Romanis Imperatoribus benefactoribus ſuis, ſalutique Imperij tunc conſuluerunt Epiſcopi Romani; tyrannorumque ac Barbaro-

rum vſurpationes, tanquam iure nixas, ratas habuere. Epiſcopos ſiquidem in illas miſerunt, & gentium illarum ad Eccleſiam conuerſioni ſtrenuè incubuerunt. An poſt occupatas à Vandalis & Gotthis Galliam & Hiſpaniam, cum harum prouinciarum Epiſcopis orthodoxis communicare Romani Pontifices abnuerunt. Debuerant multò magis, ſi Vrbani & Innocentij regendi forma recta eſt, ne Rempub. proderent, vtque populos à Tyrannis & Barbaris alienos ſemper redderent. Italia relicta de eius Eccleſiis ſollicitos eſſe haud decuit, vbi ab Hunnis & Gothis, tandemque à Langobardis & Saracenis occupata, Imperioque Romano erepta fuit; ipſâ Româ aufugientes ab Alarico, Genſerico, Totilaque expugnatâ, illos ſedem deſerere ſuam conueniebat. Quod ſi tantorum tamque ſanctorum Pontificum res geſtas, curamque ac ſollicitudinem de populorum ſalute, laudibus in cælum vſque vniuerſa fert Eccleſia: quid illos primos Chriſtianæ Eccleſiæ patres, ſi inter homines degerent, de his poſtremis ſenſuros ac dicturos putandum eſt? Diuiſionem profectò regnorum à ſedium iuribus diſtinguebant; cuius diſciplinæ ac doctrinæ clariſſimum nobiliſſimumque monumentum relictum eſt in Synodo Conſtantinopolitana Oecumenica VIII. anno ſecundo Adriani Papæ II. Chriſti verò 869. Contentione tunc temporis orta inter ſedes Romanam & Conſtantinopolitanam de retinenda in Bulgaros ad Chriſtum recenter conuerſos iuriſdictione, quam vtraque Sedes ſibi vendicabat; Græcis illam ſibi aſſerentibus, quod Græcorum Imperio ſubdita Bulgaria eſſet, reſponderunt Hadriani Legati; *Sicut Bulgariæ nobis diuerſo modo pertinere ordinationem nos dicentes mendacium non loquimur, ita nimirum eandem Bulgariam ex Græcorum regno fuiſſe nunquam negamus. Sed intueri vos decet, quia aliud ordinant iura ſedium, aliud patiuntur diuiſiones regnorum. nos de diuiſione regnorum non agimus, ſed de iure ſedium loquimur.* Importunis ambitioſiſque Hiſpanorum flagitationibus reſpondere hoc ſaltem potuerunt

In Appendice Anaſtaſij Bibliothecarij.

Vrbanus & Innocentius ſummi Pontifices, *Num Caſtellæ Regis iugum excuſſerint Luſitani, vt ſibi ex legitimis Luſitanicæ Regiæ familiæ heredibus Regem præficerent, haud quærimus; ſed de iure Sedis noſtræ loquimur, & ſolliciti ſumus. Poſſunt Hiſpaniarum regna diſtrahi, & pluribus ſubdi Regibus, talemque diuiſionem patiuntur; at aliud ſtatuunt Sedis Apoſtolicæ iura, quæ diuiſionem hancce pati nequeunt: neque etenim ſciſſis regnis, Eccleſiam Chriſti ſcindi eſt æquum.* Per integra ſæcula Galli & Angli mutuis bellis ſeſe exagitarunt, vtque belli alea incerta euentuſque varij ſunt, modò ad has, modò ad illas partes inclinante ſe victoria, plures prouinciæ Gallorum imperio ereptæ Anglis ceſſerunt, iterumque illorum ditioni ſunt adiectæ. Galli quoque & Hiſpani de Neapolitano, Inſubrumque imperio inter ſe annis pluribus certarunt: at interim laceſſentibus, ac mutuis internecinisque bellis gentibus illis ſe ſe confodientibus, Summorum Pontificum paſtoralis cura integra manſit: partiumque aliquoties ſtudio & factionibus clam implicitі, Epiſcoporum tamen ordinationes facere haud renuerunt. Sed & monumenta rerum ante annos trecentos geſtarum exempla miniſtrant, quæ rerum iudicatarum vim authoritatemque obtinent. Contendentibus ſiquidem de Regni cuiuſpiam poſſeſſione Principibus, Summi Pontifices, depoſito aut diſſimulato partium ſtudio, obedientiæ filialis præſtationem, fideíque profeſſionem illius admiſerunt, qui rerum potiebatur, populiſque dominabatur: quippe qui ſolus regni, regnicolarumque in ſua poteſtate exiſtentium obedientiam obſequiumque S. Sedi Apoſtolicæ exhibendum, apud Summum Pontificem profiteri ac promittere verè poſſet: non alius, qui mente poſſidens fictè ſolummodò id agere queat, cùm à regni incolis non agnoſcatur. Neque talia exempla aut Summos Pontifices latuerunt, aut ſacri Collegij Cardinales hac de re cognoſcere, eamque, perpenſis trutinatiſque vtrinque rationibus, examinare iuſſos, qui Regis Sereniſsimi Legatos propterea admittendos cenſuerunt. Ip-

ſeque ſanctæ Sedis Apoſtolicæ apud Hiſpaniarum Regem Nuntius, in colloquio cum eius conſiliariis habito plura allegauit: quorum priora duo breuibus & Laconicis Pij II. reſponſis continentur. primum, quando apud ſe querenti ac expoſtulanti Imperatoris Friderici III. Legato, quod Matthiam Coruinum Hungariæ Regem ad obedientiam S. Sedi præſtandam admiſiſſet, in cuius regni ſucceſſione Fridericus Imperator ius habere contendebat, prudentiſsimè reſpondit Pontifex, *Moris eſſe eum Regem appellare, qui regnum teneret, ita ſolere ſanctam Sedem Apoſtolicam.* De iſta Friderici Legatorum apud Pontificem querela hæc extant in Commentariis Pij Papæ II. lib. 2. pag. 84. edit. Romanæ 1584. *Verùm Brocchardus & eius collega Ioannes Inderbachius, & Arthongus cognomento Capel Iureconſulti cùm Florentiæ applicuiſſent, aliquandiu illic remorati ſunt, indignè ferentes Matthiam Hungariæ Regem à Romano Pontifice appellatum eſſe; eiuſque Oratores eos in Curia conſecutos honores, qui Regum Legatis exhiberi conſueuere; cùm Barones Hungariæ Imperatorem ſupra ſe Regem elegiſſent, atque ipſe delatum titulum accepiſſet. Pontifex, ea re cognita, iniuſtam eſſe querelam dixit, quando mos eſſet Apoſtolicæ Sedis eum Regem appellare, qui regnum teneret: & prior ante ſe Calliſtus Matthiam Regem appellaſſet, atque hoc modo Imperatoris Legationi ſatisfactum eſt.* Alterum eiuſdem Pij Pontificis verbis conſtat, qui de Renato & Ferdinando de Siciliæ regno decertantibus ita pronunciauit; *Si quid iuris Renato competit, illud ablatum eſt: Ferdinando regni Principes, Duces, Barones, Comites, populares omnes obediunt, cumque ſibi conſtitui Regem petierunt.* In iiſdem porrò Pij II. Commentariis hæc valdè animaduertenda leguntur libro eodem pag. 64. & ſeq. *Erat eo tempore Romæ Decanus Carnotenſis Regis Franciæ Legatus, qui ad Calliſtum de rebus Turcarum acturus venerat. Is ſuæ gentis ſtudio maximè inſtabat ne regnum Ferdinando concederetur, laturum id ægrè Regem ſuum, atque in Apoſtolicam Sedem vlturum dictitans. Aduenerat & Maſſilienſis Epiſcopus homo lo-*

Nella Giunta di ſtato in materia del ricevimento dell' Ambaſciatore del Duca di Braganza come Rè di Portogallo.

*quax, à rege Renato miſſus, qui regnum Domino ſuo aſſeruari petens, ingentibus promiſsis Curiam replebat, ſi preces audirentur ſuæ, ſin minus ruituram Curiam affirmabat. audiuit eum ſæpenumero Pius, & multa promittentem interrogauit, poſſet ne Renatus Piccininum Eccleſiæ ceruicibus imminentem armis expellere. Quod cùm negaret. Et quid ergo eſt, inquit, quod expectemus ab eo, ſi nobis pereuntibus opem nullam valet afferre? Nobis in regno neceſſarius eſt, qui & ſua poſsit & noſtra tueri. Vos regno iampridem caruiſtis, ac tandiu carebitis donec vires adſint, quibus hoſtem, nobis indulgentibus, poſſitis eiicere. atque ita verboſæ Legationi verbis occurrit.*

Tertium (omiſſa Zachariæ Pontificis ad Francos, qui Chilpericum in monaſterium detrudere cogitabant, reſponſione, quæ minus ad propoſitum facit) allatum fuit è Scotica Hiſtoria exemplum; de Roberti ſcilicet de Bruis, & Iohannis Balioli rixis ac certaminibus de arripienda ac obtinenda Scotiæ poſſeſſione: deincepſque eiuſdem Roberti cum Eduardo Angliæ Rege, cui ius ſuum in Scotiæ regno Baliolus ceſſerat, de hoc poſſidendo contentionibus commiſſiſque prœliis. tandem cùm Robertus regni poſſeſſor per plures annos Scotorum conſenſu fuiſſet, Pontifex ipſi reconciliatus eſt, & obedientiæ profeſſionem admiſit; quamuis excommunicatus diriſque deuotus vnà cum ſubditis ſuis paulò ante fuiſſet. Ita refert Hector Boethius in Scotorum Hiſtoria lib. 14. [Anno inſequenti idem Robertus legationes duas miſit, vnam ad Romanum Pontificem, Eccleſiaſticorum virorum, qui eum à Scotis iamdiu alienatum reconcilient. quod impetratum eſt perfacilè, vbi præſentes cauſam Scotorum æquiſſimam, ac iniquitatem Anglorum declaraſſent.]

Quartum & quintum exemplum allegauit Nuncius Apoſtolicus ab Anglorum rebus geſtis deipromptum. Ricardus ſiquidem Tertius, quamuis Tyrannus, qui Eduardum V. ex fratre nepotem, legitimumque regni heredem impiè necauerat, regiumque ſolium nefario ſcelere inuaſerat,

ſerat; pariterque Henricus VII. qui Ricardum III. occidit, regnumque occupauit, quod regni poſſeſſores veri & de facto, non ſola mentis fictione eſſent, à S. Sede Apoſtolica Reges appellati ſunt.

Sextum & vltimum è Luſitanica Hiſtoria excerptum tale eſt. Petro Luſitaniæ Regi proles legitima ex vxore ſuſcepta, ſpuria etiam ex pellicibus ſuperſtes fuit. Legitimus fuit Ferdinandus I. Luſitaniæ Rex & alij; ex Theraſia autem Laurentia, nobilis ſtirpis fœmina, Iohannes nothus, Ferdinandi frater naturalis, Magiſter militiæ Auiſienſis natus eſt. Ferdinandus porrò primus Beatricem vnicam ſuperſtitem ex liberis filiam, regni heredem Iohanni Caſtellæ Regi matrimonio iunxit. mortuo Ferdinando Iohannes Caſtellæ Rex ſuccedere, heredis Beatricis coniux, contendebat, & totis viribus adnitebatur. At Luſitani externæ dominationis impatientes, Beatrice eiuſque marito ſpretis, Iohannem Petri Regis filium ſpurium, Ferdinandi fratrem naturalem Regem eligunt: aduerſus quem Luſitanoſque Iohannes Caſtellæ Rex exercitum duxit, prælioque commiſſo ad Algibarottam, inſignem illam ſibique luctuoſam cladem anno 1385. accepit. Vbi porrò Iohannes à Luſitanis Rex electus, regni poſſeſſor tanta victoria ſtabilitus fuit, à Bonifacio IX. Romano Pontifice Rex agnitus eſt. de illis, quæ victoriam conſecuta ſunt, ſic loquitur Antonius Vaſconcellius in Anacephalæoſi actorum Regum Luſitaniæ. *Poſſet hæc victoria omnem Regis animo ſollicitudinem abſtergere, accedente potiſſimum confirmatorio Bonifacij IX. diplomate, quo & regnum ei addicebat, & poteſtatem faciebat nuptias contrahendi, quibus illi erat abſtinendum, vtpote ante Auiſienſem militiam profeſſo: annos tamen aliquos belli ſcintillæ vtrumque Regem mutuis damnis exagitarunt.* Vnde patet Bonifacium IX. Luſitaniæ Regem Iohannem regni poſſeſſorem pro legitimo habuiſſe, cùm ipſum illud poſſidere regnum populi conſenſu vnanimi reſciuiſſet. Mariana quoque id teſtatur lib. 18. cap. 13. *Eo* (ſcilicet Bonifacio IX.) *concedente*

*Olyſſiponenſis Præſul Archiepiſcopi honore auctus eſt, Conimbricenſi Epiſcopo contributo. noſtra ætate Portalegris Epiſcopatus Pauli III. Pontificis Maximi venia recens inſtitutus acceſſit. Hæc aliaque multa blandimenta Luſitanis in fide confirmandis à nouo Principe Pontificeque per id tempus data.* Iſtis autem exemplis Caſtellæ Regis Conſiliarij nullius pretij aut momenti rationes oppoſuerunt: quibus ſummum Pontificem eo vſque adduci haud decuit, vt eis vſquequaque faueret, adeóq; Luſitaniæ Eccleſiarum curam abiiceret.

Recentiſſimum porrò exemplum, ab Apoſtolico Nuntio omiſſum, quamuis inſigne & illuſtre, Gregorius Papa XIII. ſucceſſoribus ſuis reliquit. Cùm enim Poloniæ Ordines Stephanum Battorium Tranſſyluaniæ Principem, ab Henrici III. Chriſtianiſſimi Regis è Polonia diſceſſu Regem elegiſſent: ipſeque Stephanus electus & poſſeſſionem regni adeptus Legatos ad obedientiam filialem Pontifici præſtandam miſiſſet: ſæpius à Regis Chriſtianiſſimi Henrici III. Legato interpellatus eſt Pontifex, rogatuſque ne Stephani Battorij Legatum admitteret, neve tali agnitione velut quodam præiudicio Henrici iuribus officeret. Reſpondit Legato Gregorius, hunc morem à S. Sede Apoſtolica vſurpatum eſſe, vt qui regnum poſſideret Rex ipſe agnoſceretur: fruſtraque fatigatis ſæpius Pontificis auribus, Battorij Legatus admiſſus eſt: & Henrici Legato admiſſam à Papa obedientiam in Conſiſtorio coram ipſo Pontifice improbare licuit, & publico lecto inſtrumento aduerſus eam proteſtari.

Prudenter equidem ac ſapienter hanc conſuetudinem ſummi Pontifices obſeruarunt, vt ſaluti totius alicuius gentis conſultum irent: ne regnorum poſſeſſores iniuſti præcipuè ac vſurpatores, ab Eccleſiæ communione ſubditos ſuos irati abducerent, & in ſchiſmatis barathrum, tandemque in hæreſim traherent. Pontifex equidem ſummus, pater Chriſtianorum omnium communis omnibus debitor eſt; diſpenſator myſteriorum Dei, paſtor cui cura gregis commiſſa eſt, dilectione ac charitate eum fouere

ac amplecti debet, integrumque ſeruare. officium verò deſerere, & gregi ſibi tradito deeſſe videatur, ſi paterni amoris oblitus, nouercalibus alios odiis proſequatur, alios verò vnicè diligat. in omnes æquis partibus dilectionis ſuæ effectus diffundere debet: ſin minus, iniquo partium ſtudio charitatis corrumpitur vinculum, & corporis Chriſti compages diſſoluitur.

Diſcrimen autem magnum hic animaduertere paucis liceat, quod intercedit inter Papam, nouum regni poſſeſſorem etiam malæ fidei approbantem, & cæteros Principes ſæculares. Ille nulli nocet, ius in regno non tribuit, neque poſſeſſori vires & arma miniſtrat, nec cæteros vt etiam agnoſcant, auctoritate ſua cogere poteſt. De regnorum namque ſucceſſione S. Sedis Apoſtolicæ dominio temporali non ſubiectorum nunquam vt iudex, ſed vt priuatus electuſque arbiter cognouit; nec ius, Regem quemquam appellando, tribuit; cùm exemplis allatis conſtet, eum à Pontificibus Regem appellari, qui iure ſiue iniuria regnum de facto poſſidet. ſed nouum Regem quemlibet, vt Chriſtianum, ad fidei profeſſionem admittit ſummus Pontifex, vt ille Rex populos ſibi ſubditos in Eccleſiæ communione contineat. Principes ſæculares nouis vſurpatoribus aliquando fauent, vt propriis ſuis commodis conſulant, potentioris ſuſpectíque vicini vires frangant ac atterant; vtque ſecuriùs agant, arma, militem, commeatum vſurpatori præbent, malo tamen ſibíque fatali quandoque exemplo: à potentiori ſiquidem deturbari etiam poſſunt, & ditione ſua eiici; talioniſque pœnâ affecti, iiſdem, quibus in alios peccauerunt modis, vexari. At ſummus Pontifex, vel vſurpatorem, Regem appellãdo priuatis commodis non ſtudet, ſed Eccleſiæ vniuerſalis vtilitati & vnitati conſulit; idque agit, vt dona ſpiritualia gentibus omnibus largiri, indulgentias concedere, cæteras denique miniſterij ſui partes adimplere poſſit; quod cùm ſpirituale ſit, & ad myſteriorum Dei diſpenſationem inſtitutum, hunc vnum ſcopum ſibi proponit, vt ſalutem

populorum curet. Illa porrò præſtare nequit, niſi poſſeſſorem regni verum, Regem appellet & agnoſcat, qui Pontificis auctoritatem peſſumdare, eiuſque miniſterium interrumpere in ſubditis ſibi regionibus poteſt; vbique enim diplomata Pontificia tum demum in regnis & Principum ditionibus executioni mandantur, cùm inter Pontificem & ipſos amicitia intercedit; cúmque examinatæ Bullæ nihil, quod Principum iuribus & authoritati obſit, continere probantur.

Hóc tantùm, Illuſtriſſimi Præſules, addere liceat. Si dum Epiſcopos inſtituunt, & Luſitanicis Eccleſiis, ſeruatis regni conſuetudinibus & legibus præficiunt, Caſtellæ Regis iura imminuere, aut ei iniuriam facere, eiuſque rationes perturbare metuunt, quòd Iohannem IV. heredem poſſeſſoremque legitimum hoc pacto approbare & agnoſcere viderentur; infirmis rationibus ſubnixi id agunt, quas in eos retorquere haud arduum. Quid etenim reſpondebunt obiicientibus, Turcorum tyrannidi ipſos fauere, & legitimos poſſeſſores vſurpatarum vi regionum Othmanos eſſe fateri? Hactenus enim & Chij & Naxi inſularum Epiſcopos illic reſidentes Papæ inſtituunt; Vicariuſque Patriarchalis Conſtantinopoli moratur, qui Latinorum ibi degentium Eccleſiis, iuxta delegatam ſibi à ſummo Pontifice poteſtatem, præeſt.

Mirum equidem ſummos Pontifices Luſitanicas Eccleſias negligere, cum illis communicare nolle, quas nec hæreſeos, nec ſchiſmatis labe adſperſas notauerunt, non monuerunt, anathemate non percuſſerunt. An omnes incolas ad exulandum Luſitania, huc & illuc paſtoribus carentes ac palantes, compellere volunt; vt, in alias ſedes cùm migrauerint Luſitani, pro derelicto Caſtellani illud regnum denuo occupent. Peſſimi equidem exempli, peioris verò infauſtique magis ominis hocce ſummorum Pontificum propoſitum Rex Sereniſſimus, eiuſque vniuerſi ſubditi deflent: qui precibus, pedum oſculis, obedientiáque filiali hactenus eos exoratos habere nequiuerunt; nec Chriſtia-

niſſimi aſſiduæ per Legatos poſtulationes flectere, & æquiores mitioreſque reddere potuerunt.

Vos itaque, Præſules Illuſtriſſimi, Rex Sereniſſimus compellat toto animi affectu, totiſque viribus obſecrat, vt ad ſummum Pontificem iuſtas doloris ſui cauſas deferatis, illumque monendo oretis, vt Luſitaniæ Eccleſiis iuxta formulam conſuetam paſtores tandem præficiat: nec Chriſtianum gregem in illo regno ſine ducibus & Epiſcopis diutiùs deſerat: qui tandem huc & illuc vagando à recta via aberraret, & voracibus lupis expoſitus foret.

Nouum non eſt, aut nudiuſtertiùs vſurpatum, ſummos ab inferioribus, maximos à minoribus moneri Pontifices. Beatus Irenæus Victorem Papam, vt erga Aſiaticos, quos in celebratione Paſchatis veluti iudaïzantes ab Eccleſiâ ſeparauerat, mitior eſſet & clementior, monuit. Verumetiam plebs ipſa cum Clero aliquando interceſſit, & fide à Summo Pontifice acceptâ, ne quid ab ipſo fieret, cauit. Cuius rei monumentum apud Anaſtaſium Bibliothecarium in vita * Eugenij Papæ I. extat. *Huius temporibus* (ait Anaſtaſius) *Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit Synodicam epiſtolam, iuxta conſuetudinem priorem, omninò obſcuriſſimam & contra regulam; non autem declarans operationes aut voluntates in Domino noſtro Ieſu Chriſto. & accenſus populus vel Clerus, eo quod talem epiſtolam direxiſſet, minimè eſt ſuſcepta: ſed cum maiore ſtrepitu eſt à ſancta Dei Eccleſia proiecta. vt etiam nec eundem Papam dimitteret populus, nec Clerus Miſſas celebrare in Baſilica ſanctæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, quæ appellatur ad præſepe, niſi promiſiſſet his ipſe Pontifex minime eam aliquando ſuſcipere.* Aliquos etiam S. Sedi Apoſtolicæ reconciliatos per Præſules inferiorum ſedium legimus. Theophilus ſiquidem Alexandriæ Epiſcopus Flauianum Antiochiæ Patriarcham à Damaſo Papa in communionem recipi procurauit. Sed & antiquiſſimum exemplum habemus Synodi Antiochenæ, quæ cùm ad Epiſcopos Romanum & Alexandrinum de iis, quæ decreuerat, ſcriberet, Paulo Samoſateno excommunicato ſucceſſo-

* Cœpit anno 652.

rem dediſſe Domnum illis ſignificat, & vtrumque hortatur, vt γράμματα κοινωνικὰ, id eſt litteras communicatorias, illi ſcribant, viciſſimque ab illo recipiant. Quod ſi ipſi ſummi Pontifices aliquando Imperatores rogauerunt, vt quos ſedes Apoſtolica ad ſuam communionem receperat, ipſi quoque in ſuam communionem admitterent: quod Io-
Cod. lib. 1. hannem Papam feciſſe ex eius ad Iuſtinianum epiſtola conſtat: ſummis Pontificibus haud ingratæ eſſe debent preces eiuſmodi ac poſtulationes Epiſcoporum, qui ſanctæ Sedi Apoſtolicæ ſubiiciuntur.

Hiſce proximis ſæculis, non ſolùm Eccleſiaſticos viros, vt turbæ in Eccleſia ortæ componerentur, & pax orbi Chriſtiano redderetur, laboraſſe ſcimus: ſed & Imperatorem Sigiſmundum ſedulam ac aſſiduam operam nauaſſe, vt fœdum ac deforme ſchiſma Concilio Conſtantienſi tolleretur, vulnuſque ſanaretur. Recens adhuc eſt memoria eorum quæ per Legatos ſuos apud Paulum V. egit Chriſtianiſſimus Rex Henricus Magnus, vt ſopitis rixis ac iurgiis, quibus de iuriſdictione Eccleſiaſtica pugnabatur, quæque in bellum apertum iamiam proruptura erant, inter Summum Pontificem ac Venetos pacis fœdera inuiolata ſtarent. Gratior & accepta magis Pontifici opera veſtra in exhibendis hiſce mutuæ dilectionis & charitatis officiis, quam cuiuſuis ſæcularis poteſtatis eſſe debebit: & apud ipſum pluris fieri Gallicanæ Eccleſiæ, quàm cæterorum nomen, iure ſperandum eſt. Tandem verò ſi precibus veſtris, Præſules Illuſtriſſimi, aures faciles ſummus Pontifex non præbeat, ſeque flecti iuſtis poſtulationibus non patiatur, Sereniſſimus Rex conſilium veſtrum expetit, quo vſus Eccleſiaſticam diſciplinam integram ſeruet, fidemque Catholicam tueatur, quibus certum periculum impendet, niſi viduatis Eccleſiis Epiſcopi & Paſtores regendo Chriſtiano gregi breui præficiantur.

*Scriptus eſt prior anno* 1649. *menſe Decembri. Poſterior* 1651. *menſe Martio.*

FINIS.

SS 362791